



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ærumnæ D. N. Jesu Christi

Thomé <de Jesus>

Monachii, 1676

Ærumna XIV. Ex conversatione hominum, à Domini moribus valde discrepantium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

ÆRVNA XIV.

Ex Conversatione hominum, à Domini moribus valde discrepantium.

I.



Amem ac Sitim Justitiæ sequitur plerumque alia *Videre in-*
 molestia servis DEI sat gravis, à consuetudine cum *juriam Dei*
 hominibus, longè diversis ab illorum studiis ac mo-
 ribus, quam evitare non possunt: quia, cum sint to-
 ti intenti DEO, quem semper & ardenter cupiunt ab omnibus co-
 gnosci, coli, & amari, ut par est; clarè vident, quanta sit hominum
 ad hoc obligatio, quantumque malum sit, hoc non facere. Unde
 ipsis gravissimum est, semper ob oculos habere summam ignoran-
 tiam, & neglectum rerum divinarum, & contra maximam curam
 ac diligentiam terrenarum, plurimæque peccata, quæ liberrimè
 fiunt. Hæc molestia nulli potuit esse gravior, quàm Domino JE- *Christo*
 su, qui pro sua bonitate elegit in terra vitam communem ac pau- *gravissi-*
 perem, nec voluit in sua conditione quidquam à vulgari habere *imum fuit.*
 discriminis. Degebat in domo paupere, omnibus patente, ut
 omnibus daret exempla vitæ innocentis, modestæ, quietæ, occu-
 patæ cum DEO; sine ulla demonstratioue divinæ sapientiæ & ma-
 jestatis: quia degebat in silentio: necdum tempus erat patrandi mi-
 racula. Quare etiam sine respectu tractabatur à vulgo, nec satis
 æstimabatur ejus sanctitas, sed ab unoquoque habebatur, prout fer-
 ret libido. Sed ipse ita versabatur inter eos, ut plurimum doleret
 eorum ineptiis, cruditate, malitia, rixis, licentia, impudentia,
 fœditate, & aliis, quæ non poterat non sæpe videre, & audire in
 plebe.

II. Quantum ea doluerint ipsi, nemo satis expenderit.
 Majestas Personæ suæ in medio tam vilium hominum, Sanctitas
 vitæ inter tam profanos, zelus honoris divini, quo flagrabat, in
 tanta peccandi licentia, desiderium salutis eorum in tanto impe-
 tu ruentium ad interitum, & quidquid præterea fuit in ipso, toti *IESUS cum*
 dem erant aculei ac stimuli, quibus continuo pungebatur. Ad- *elegerit vi-*
 dunt aliqui non prorsus improbabiler, non defuisse, qui culpa- *tam com-*
 rent eum, velut inertem, qui tanto natu gravis esset parentibus, *munitus.*
 nec

nec aptaret se rebus, ut aliquid operis aut negotii fumeret, vel tractare posset. Quæ quidem omnia facillè declinasset, si, ut Joannes, abiisset in solitudinem. Sed quia major pars hominum, qui saluantur, vivit inter alios; & major in vita communi est occasio molestiarum ac pœnitentiæ, satis habuit, solitariam approbare quadraginta dierum jejunio, ejusdem institutione relicta Spiritui sancto, quondam DEI servos ad eam vocaturo: ipse tanquam missus à DEO Patre Magister & speculum morum, & ut ampliorem patiendi occasionem haberet, elegit vitam communem.

III. Tria verò præcipuè videtur ea triginta annorum communione vitæ voluisse docere. Primò modum agendi cum hominibus. Secundò eosdem sufferendi. Tertiò non instituendi vitã ad normam illorum, sive non multum curandi eorum judicia.

Regula vivendi inter homines.

Matth. 5. 16.

De primo sunt aliquæ regulæ generales in S. Scriptura. Unam dat Christus: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in celis est.*

Matth. 10. v. 33.

Vult nos ita vivere in conspectu totius mundi, nullam ut legem DEI violemus; contra quam aliqui faciunt, qui animo quidem probant mandata DEI, sed in oculis hominum, ne videantur inurbani, non dubitant dispensare in illis: de quibus dicitur: *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.*

Luc. 17. 2.

qui scilicet obedientes sibi glorificaturus est in judicio coram toto mundo, meritò vult nunc publicè glorificari ab ipsis. Unde etiam satis non est, bonum habere in animo, nisi foris appareat, propter scandalum: Nam *Va homini, per quem scandalum venit. Expedi enim, ut lapis molaris suspendatur in collo ejus, & demergatur in profundum maris.*

Rom. 13. 8.

Vult autem Dominus boni exempli intentionem non esse, ut ex eo crescat bona de nobis opinio, sed ut Deus laudetur, sine quo nihil amplius facere possumus, quam palmes, qui si in vite non manserit, arescet, & in ignem mittetur. Aliam regulam dat Apostolus: *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem implevit.* Docemur hic modum, liberè & sine obligatione vivendi inter homines, videlicet non agendo ut lubet, sed ut oportet. Nam qui agit pro lubito, censetur eos contemnere, quibuscum agit, nullius rationem habendo

habendo, & sic eos offendit, & obligatione satisfaciendi contracta, minus est liber. Ubi etiam intelligitur, qua ratione sit ineunda amicitia; videlicet eâ ne sic implicemur, ut propter amicos agamus, quod non oportet. Ergo ut in summa dicamus, modus agendi cum hominibus à Charitate DEI sumendus, & Proximi DEI, ut ejus mandata servemus ubique, nullo nos impediente respectu: Proximi, omnibus benefaciendo pro viribus, non alia ratione, quàm ex amore divino. Etsi facultas magna non suppetat, voluntas tamen & significatio ejus copiosa non desit; semper magis causas id faciendi quærendo, quàm excusandi, quod ille voluerit. In quo demonstrabit se homo esse opus Dei, qui omnibus omnium bonorum est auctor. Non enim bonus est homo, qui non omnibus & ubique cupit prodesse. Denique sit omnibus talis, quales sibi vult esse omnes; procurando voluntate, verbo & opere bonum omnium; non personarum, sed necessitatis rationem habendo.

IV. Pro electione familiarium, ac multò magis amicorum & consultorum, Paulus dat hanc regulam, ut nec manducemus cum improbis, nisi, ut beneficiamus eis, non assumendo vel probando mores eorum. Cùm autem studio salutis eorum cum illis est agenda, charitas docebit, quomodo & quando id faciendum sit, ut absque scandalo ac detrimento fiat. Ad familiaritatem verò nostram, quantum potest, non admittendi, nisi ejusdem nobiscum erga virtutem sint animi: qui si non reperiantur, expediet, omnibus affabilem esse, nemini familiarem. Quos autem consulimus, & taciturni sint oportet, & qui possint suadere semper meliora; nostra bona vel mala reputent pro suis, & vitæ probitate consiliis suis concilient fidem. Et quia in vita communi multe sunt occasiones faciendi mala, & etiam bona; qui fructuosè vult inter homines vivere, ante omnia procuret puritatem animæ propriæ, & morum suorum: sic enim nunquam destituetur lumine, & gratiâ DEI, ut omnia agat cum fructu. Deinde caveat tentationem communem, quâ plerique sibi persuadent, exercitia virtutum servari non posse inter homines, ideòque differunt ea in tempus, quo majore quiete illa peragant. Hanc excusationem finxit natura,

Y

quæ

Amicitia
quomodo
ineunda,Ad famili-
aritatem
quales ad-
mittendi
sint.Falsum est,
virtutem
inter homi-
nes non ser-
vari posse.

Nusquam
sanctus
erit, qui
non sibi
studet esse
sanctus.

quæ refugit jugum virtutis. Quia, teste experientia, qui non studet ubique sanctus esse, nusquam est sanctus. Ergo in mediis negotiis profectum animæ suæ curet, qui vult proficere in solitudine: præsertim, quia de omni tempore ratio Deo reddenda est. Quo in genere mirabile fuit exemplum Christi, qui inter hominum turbas fuit semper attentus ad voluntatem Patris æterni; ut proinde nullus etiam hostium argueret eum peccati. Neque majus unquam fuit miraculum, quàm inter medios homines vita Filii Dei Incarnati modestissima, placidissima, quietissima, cum summa collectione sensuum, ac demonstratione sanctitatis absoluta. Meminerint ergo servi Dei, quomodo exemplo Christi oporteat eos semper esse collectos, & multò magis, quomodo occupare animum, & exercere virtutes. Tantò enim Christus, cujus est illuminare, ordinare, vigorem & robur dare nostris actionibus, ulterius influet, quantò magis ipsi se conformare studuerint.

Isa. 42. 4.

Tacere, &
sustinere
magna vir-
tutis est.
Semper dis-
simulare
gravissimū
est.
Viro spiri-
tualis inter
oblationes
& irrisio-
nes,

V. De secundo, quomodo supportandi sint, quibuscum agimus, exemplo nos docuit Christus, de quo prædictum est: *Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox ejus foris: non erit tristis, nec turbulentus.* Audiebat, videbat multa, quæ displicerent, & tamen tacebat; quia tempus non erat ea curandi. Tacere & sustinere virtus est, quæ sine offensa vivitur inter homines, & sine qua mens quietem habere non potest, maximè necessariam inter diversæ conditionis homines agentibus: quia major pars reprehensionem non fert, vel quia non cogitant alteri displicere, quod sibi placuerit; vel quòd ipsis alia omnia displicent. Unde gravissimum est, videre continuò ac dissimulare, quæ meritò nobis haud placent; maximè in vita spirituali, si quem Deus attrahens avocat à moribus communibus imperfectorum: quæ his occasio contra eos murmurandi, spernendi, nonnunquam & persequendi: quod quidem servis DEI peracerbum est, & excitatur à dæmone, ut eos in bono proposito infirmet per istiusmodi irrisiones & agnomina. Quibus necesse est, à Deo petere lumen, ne amittant interiorem cognitionem veritatis; & ut armentur perpetuâ patientiâ, ne dimittant, quod eis intus inspiratur à Deo. Præterea petant veram sui cognitionem, quæ agnoscant, se meritò parvipendi ab omnibus, ut

ut vindicentur injuriæ, quibus olim DEUM affecerunt. Gratias ^{quid agendum sit.} agant pro bona voluntate serviendi DEO, & aliis donis, quæ acceperunt præ aliis. Cogitent, se magis obligatos ad supportandos potius alios, quàm ut supportentur ab ullo: nam patientiâ cælum obtinetur; & vitia sua si supportentur ab aliis, majores agunt radices, ut fiant incurabilia. Teneant pro certo, à solo DEO pendere eventus eorum, quæ displicent ipsis; proinde non esse, cur turbentur, sed ex charitæ aliis compatiantur. Solentur se dicto Isaïæ: *Si revertamini & quiescatis, salvi eritis: in silentio, & in spe erit fortitudo vestra:* nam tacere & supportare, sunt arma potentissima ad omnia, sine quibus vita quieta esse non potest. Et si cum hac virtute multos nihilominus in se defectus reperiant, cogitent, se multò minùs in aliis mutaturos, quod à se ipsis impetrare non possunt.

VI. De tertio, quàm parùm oporteat se conformare judicio eorum, inter quos vivimus, nisi totam intentionem suam ferant in obsequium DEI, audiendus Apostolus: *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem:* qui alibi dixit; *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* Sic igitur oportet accommodare se omnibus propter eorum salutem, ut tamen in nullo recedamus à vera virtute, quam docuit Christus. Quod quidem non est adeò facile in vita communi, cùm videamus plerosque trahi paulatim in aliorum sensa & morès: quia rara est virtus, quæ velit omnibus displicere, & omnes habere contrarios, faceréque in eorum oculis contraria, ut placeat soli DEO. Hanc autem DEUS tanti facit, ut mira suavitate interna tales demulceat: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, DEVS, quam abscondisti timentibus te! Perfecisti eis, qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum.* Nec sinunt se judiciis eorum abripi à veritate, quam intus agnoscunt. *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum. Proteges eos in tabernaculo tuo, à contradictione linguarum.* Quod sanè merentur, qui nunquam perdunt respectum ac reverentiam DEI: sed hoc non nisi per multas displicentias, & oppositiones hominum fieri solet in vita communi. Unde suarum consolationum flore DEUS id eis compensat. Nunquam ergo quis curet

Neque
sermonis
eorum cu-
randa.

hominum sermones, modò justam causam eis obloquendi non det; sed cùm facit, quod debet, occludat aures, parètque se ad constanter eundem contra potentes, sapientes, nobiliores, ac prudentiores seculi in his, quæ ad perfectionem vitæ evangelicæ pertinent. Id autem non poterit, qui spem aut prætensionem aliquam habet in hominibus; sed qui quærit honorem DEI solius, & ut indignam ac vilem aspernatur in corde suo omnem auctoritatem, quæ doctrinæ Spiritûs sancti non favet. Neque curet, si dicatur eum illudi, qui recedit à sensu communi, & singularis est. Nam alii decipiuntur: ac singularis non est, qui cum Christo, Apostolis, Martyribus, & aliis Sanctis est.

Regula qui-
eò vivendi
in Re-
ligione.

VII. Eadem est ratio Religiosorum, qui degunt in vita communi: quia non omnes, qui profitentur idem genus vitæ, sunt imitandi, si non satisfaciant instituto. Imò doctrina superiùs tradita magis est ipsis necessaria; quòd semper sint simul. Omnibus ita sualero, ut observatâ obedientiâ erga Superiores, patientiâ in omnibus, & erga omnes continuâ mansuetudine, humilitate morum, curent esse singulares & eximii in studio perfectionis Regularum, licet fortè Superiores ac Primores communitaris tales non sint. Ut autem in pace vivant, juvabit servare sequentia.

1. Non curent habere gratiam Superiorum, sed eis ad unguem obediant. Illud, ne cor DEO dedicatum transferant in pauperem hominem: hoc, ut DEUM in Superiore honorent.
2. Non habeant amicitiam, quæ distrahere possit cogitationes, & animum inquietare.
3. Non aliud quærant in Cœnobio, quàm pacem cordis, & puritatem animæ.
4. Non plus faciant pro amico, quàm pro inimico. Nam habere aliquem pro inimico, licet fortè sit, in domo DEI principium est factionum ac turbarum.
5. Affectum habeant erga viliores & contempribiliores, eisque piè invident. Quia tantò puriùs ac liberiùs oculos levant in DEUM; & eundem locum habent in Religione, quem habuit Christus in terra: & hic tantò magis favet eis, quanto minùs cogitant de rebus altis in mundo.

6. Non

6. Non habeant rationem eorum, qui sunt graviores, & majoris auctoritatis. Nam quidquid in Religione conciliat gravitatem & auctoritatem, eodem loco censendum est, quo officia magis humilia: & cenferi aliquem honoratum ex dignitate, abjectum ex humili officio, religiosum non est,

7. Liberè sequantur puritatem virtutis, cum mansuetudine & silentio: licet ea forsan apud omnes in oblivione sit.

8. Spem habeant in adversis & persecutionibus, hoc sibi pretio cælum staturum: nam hoc genus est crucis valde acerbæ, tum quia continua & domestica est, tum quia sub titulo servorum DEI, velut à gente sancta, sub colore zeli ipsis infertur.

9. Cùm vident imponi sibi per calumniam, quod nunquam habuerunt in animo; &, quæ bene fecerunt, perverti interpretatione maligna; orent pro illis, & cum silentio, patientia, & perseverantia stent firmi, contemnendo se ipsos; quòd, ut salventur, sit eis opus majore auxilio DEI, & ejusmodi exercitio, & ut servi DEI se persequantur.

10. Procurent continuum desiderium patiendi adversa, judicando se his indignos; ac petant à Deo, ut semper sinat eos videre, optimam & securissimam esse hanc viam in Religione. Studeant semper omnibus benefacere ac servire tanquam dominis, ac superioribus suis, sine spe gratiæ, laudis aut remunerationis ullius: neque propter maledicta illud omittant.

11. Cùm viderint omnia relaxata, seriò studeant reformare se ipsos, cogitentque, se venisse ad Religionem, tantùm ut serviant aliis, eòque supportent; non autem, ut sint in gratia, vel supportentur ab aliis; sed ut in illa societate vivant solùm cum Deo. Si quid autem eis inferatur molestiæ ab aliis, non querantur, sed cogitent illos tanquam dominos posse tractare se pro libitu, tanquam servos. Hæc monita quos non juverint, hi pro mundanis & profanis in habitu religioso habendi sunt.

E X E R C I T I U M

De supportandis Moribus Hominum

I.

Divine Magister veritatis æternæ, & piissime Pastor ovium errantium, bone Jesu, Domine & Reparator omnium jactura-
Humanitas.

Y 3

rum

*Domini e-
g^o hominis.*

rum mearum! quis est hic amor, qui te sic adstrictum tenet hominibus, ut neque mala nostra, quæ maximè detestaris, te possint à nobis avellere? implevisti cælum Angelis, qui te continuò laudant, ardent amore tui, adorant ac serviunt tibi; & tu descendis à celo in terram, ut vivas per annos triginta inter homines, qui te nec noverunt, nec amant, neque colunt; & habitas cum gente improba, plena peccatis, ubi nihil vides, nisi tuas offensas. Quis te, Deus meus, abduxit ab eo more, quo consueveras agere cum hominibus? venisti in paradysum terrestrem ad peccatorem Adamum, & eum inde ejecisti: venisti ad videndum, verusne esset clamor peccatorum Sodomæ, quem audiveras, & eam inde delevisi? cum incederes per desertum cum populo tuo, Moyses ægrè placavit iram tuam, ne perderes eos propter sua peccata; & nihilominus tandem ferè omnes in deserto extincti sunt, qui exiverunt ex Ægypto, neque Terram sanctam viderunt. Nunc autem tu, qui es idem Deus æternus & infinitus, venis, ut vivas inter homines, & è propinquo intuearis eorum peccata, vivens in eorum ædibus, incedens per eorum vias, ubi sine ullo respectu peccant: & tu sustines, ac permittis eos vivere. Num fortè minùs clamant eorum peccata minùsque te offenderunt, quàm veterum? an ea minùs jam averfaris, quàm illorum? aut magis hos amas, quàm antiquos amaveris? Verè, mi

Psal. 54. 4.

*IESVS igni-
sus inter
homines.*

Deus, dixit Propheta; *Operuisti omnia peccata eorum: mitigasti omnem iram tuam; avertisti ab ira indignationis tue: omnem ejus rigorem convertens in te, ut nos sublevares: dedisti nobis tuam præsentiam, ne iram tuam effunderes. Dissimulabas omnia, omnibus compatiebaris, & sufferebas importunitates, stultitias, & ineptias omnium. Dolebas omnium malis, sentiebas omnium offensas: & tu, Lux divina, incedebas in tenebris, ut non cognoscereris; Pater omnium sine amore, Deus omnium sine reverentia, divitiæ omnium sine æstimatione, beatitudo omnium nullo desiderante, Pastor omnium nullo sequente, summum bonum omnium, nullo agnoscente*

II. O qui se tibi adjunxisset! ô qui tecum egisset! ô qui te vidisset & audisset semper triginta his annis! Pro me, Vita animæ meæ, pro me laborasti tot annis. Et nunc tu es idem, qui me
vides,

vides, me toleras; & quidem tam propè, ut intra hanc animam agas mecum, ac dissimules mecum; ut videas, an te videam, te intelligam, oculos meos ponam ad te amandum & colendum. Ne sis in me, Deus meus, ut lumen in tenebris; sed illumina me totum radiis tui splendoris. Si possem desiderare magnos favores, & auderem à te petere aliquid Majestati tuæ conveniens, non possem me latius extendere, quàm ut desiderarem esse unus de minimis in domo tua, & nunquam recedere à foribus tuis, ut, cum per eas transis, osculer terram, quam calcasti. Propheta intellexit, unum ejusmodi diem esse meliorem, quàm mille vitas: & tu Rex supreme, gloria & opulencia divina & infinita! id parùm existimas, sed quotidie venis ipsemet ad me quærendum; venis in domum meam, venis intra me. Ibi te invenio, quoties volo; neque hæcenus voluisti deserere meum consortium, neque ultro discedis à me, quasi non videres mala mea. Quia scilicet vis omnia curare, si modò oculos convertam ad te, amem te, & agam tecum.

*Talis etiam
iamnum
est inter
nos.*

III. O mi divine amator, rape ad te omnia desideria mea, & omnes sensus meos. Quid enim ego aliud velim, aut quid majus tu mihi poteris dare? Tu, Deus meus, aliud in tuis bonis non habes, quàm te ipsum, nec est aliud, quod possit optari; & tu hoc totum das mihi. Ubi sum ego, quando aliud cupio? quid me factum est, quòd te non videam? ubi amisi sensum, quòd te non audiam? Ah Lux mea, illumina me! Pastor meus, alloquere me, ut audiam vocem tuam, & agnoscam eam, nec nisi ab illa trahi me sinam. Quare ero tam miser, cum te habeam ita propinquum? quare tam miserabilis, cum te habeam socium? & tam remotus à te, cum tu mihi sis tam conjunctus? Ah Domine! impedimenta, quæ sunt in me, tu vides: quæ mihi sint opus, tu cognoscis: quid amit- tam, tu sentis. Clament ad te necessitates meæ, & tu ipsis compa- tere: & quia te hîc habeo, conjice misericordes oculos tuos in illas, ut medearis; nec vivam tecum sine te; sed te amplectantur omnia interiora mea: te audiam, te sequar, te solum desiderem, in te solo requiescam.

IV. Tibi Domine, qui vides mala mea, confitebor, ut fanes ea, sicut tibi placet; & fugiam illa, ut misericorditer mihi condon- nes.

DEI. non
nominum
iudicia cu-
m mala sunt.

nes. Tu justè me proscrispisti à cælo, quia id fui promeritus; & hæc est præcipua cura; ad quam me obligasti, & cuius maximè rationem à me exiges. At ego mihi facio cælum in hac valle miseriarum, totus occupatus in illis, & immemor tuï. Omnis mea cura est, ut hominibus placeam, inter quos dego: ac doleo, si non habeam faventes, quasi ipsi forent mei dii: æstimo laudes eorum, quasi ipsorum esset, opera mea laudare: turbor, si mecum contenti non sint; gaudeo, si contenti. Pudet me, tuï similem esse, humilem, patientem, taciturnum, & aspernantem humana iudicia. Sequor, quod approbant illi, tametsi tibi repugnet: & ut me accommodem illis, negligo debita tibi servitia, & fugio, quod scio, esse conforme purissima tuæ doctrinæ. O divina Misericordia! ignosce mihi exiguum respectum, quem quotidie erga te gero. Tu scis, quanto plus apud me valeat, quod homines de me dicere possunt, quam id, quod à me tua magnitudo requirit. Magnum esse me puto, cum illi me æstiment, quamvis apud te parvo sim loco: vilem autem, cum illi me abjiciunt, licet tibi sim acceptus. Cum alios video esse in majori favore apud homines, contristor, & omnem veritatem, perfectionem virtutis, & integritatem perverto. Facio cum promptitudine ac diligentia, quæ incurrunt in eorum oculos, ne vituperent; & a grè fero, si non probentur eis, ut vellem. In virtutis officio persevero, quamdiu ipsi vident: sed ante oculos tuos sapientissimos, sum totus tepidus & languidus: qualibet modicâ operâ in obsequio tuo navatâ sum contentus, non multum curando, quid tibi debeam. Et quid in hominibus habeo, Deus animæ meæ? Non aliud, quam quòd vivam inter mortales, miseros, exules, infirmo iudicio, malè inclinatos in suis opinionibus, cæcos in æstimatione veri, delusos in approbandis bonis, & malis damnandis. Judicant secundum ea, quæ sunt in oculis, & in omni re titubant, sicut terreni. Promptissimi sunt ad promovenda mala, diligentissimi ad bona impedienda. Locum dant vitiis, quidvis mali committunt, persequuntur bonos; & vivunt in perpetua inquietudine. Qui sunt super alios, non ideo sunt meliores, neque minores habent miseria: malitia & miseria regnant in omnibus. Quid ergo Deus meus, aut volo, aut possum sperare ab illis?

V. Ego

V. Ego iudicandus sum ex eo, quod tu vides in me, qui
æquus affirmator es veritatis: homines autem rem nullam tractant
imperfectius, quam veritatem, & oculos tantum in exteriora defi-
gunt: at ego propter hoc iudicium me perdo, ac te relinquo. Li-
bera me, Deus meus, ab oculis hominum. Sunt enim quasi oculi ^{Oculi huius}
basiliscorum, qui, quæ vident, occidunt veneno. Quid spero, cum ^{minum}
in eis pono spem meam? Non præstant, quod non possunt; & si ^{sunt quasi}
quid possunt, in eo, quod melius est, deficiunt. Denique, cum ^{basilisco-}
ab eis affligor, & ea quæ facio pro ipsis, grata non habent, sed pro-
pterea me persequuntur & vexant; non habeo alium, qui me con-
soletur, & juvet, nisi tuum amorem paternum. Cur igitur tu non
es primus in omnibus rebus meis? ô bone Jesu! non possum enu-
merare omnia, quæ tu invenis in me reprehensione digna ex hac
parte: scio: quia video me abreptum vento hujus vanitatis; & ex
omnibus id unum superest mihi, ut cogitem, nihil melius esse, quam
te; nec posse me miseras meas satis defflere. Infinitas tibi gratias
ago, quod volueris me sic esse, ut fieri dives non possim, nisi veris
& æternis bonis. Averte igitur, Domine, oculos meos à vanitate.
Libera me ab his, quæ prædantur vera bona: da mihi robur, ut
ventis hominum, qui me impetunt, non evertar. Et quia non sum
aliud, quam aura, aperi mihi lumine tuo meos oculos, ut alterius
rei rationem non habeam, neque cor meum separetur à te, bono
æterno, & veritate summâ, per illusionem, pauperiem & vanita-
tem terrenam.

VI. At verò, tu, Domine, me obligasti, ut amem hos ho- ^{Homines}
mines, quos me imitari & sequi non vis, ut sequar te solum: sed ^{amandi,}
vides tenuitatem iudicii mei, ac debilitatem ad satisfaciendum ^{non imi-}
tantæ obligationi. Doce me, divine Magister, quandoquidem vo- ^{tandi.}
luisti fieri noster, ac de cælo venisti in hanc pauperem habitatio-
nem. Cupio, Deus meus, supportare omnes, contemni ab omni-
bus, servire omnibus, & ab omnibus male tractari, si tu ita ordina-
veris: sum paratus pati, ut omnes sint contra me, si tu permiseris.
Dilata mihi, Domine, cor, ut omnes pura tui charitate complectar:
doce me non anteferre, aut ferre omnino in isto corde, nisi te,
Deus meus. Sis tu Magister meus in omnibus rebus, ne me ulla
Z
varietas

varietas aut mutatio porrò decipiat. Doce me, malle disgratiam, quàm favorem hominum; ne cor meum sequatur illos, te dimisso. Deme ab oculis meis cæcitatem & nebulam, ne me decipiant re hujus vitæ, sed æstimem unamquamque pro meritis. Tu mandasti, ne timeam eos, qui possunt mihi adimere vitam corporis; sed te, qui simul animam potes mittere in gehennam. Sed ut hoc possim, Domine, da mihi ante omnia amorem veræ vitæ, & hujus miserandæ contemptum: da mihi priùs, ne quidquam aliud mihi ducam honori, quàm tibi soli servire ac placere: regna priùs in corde meo, ut occupatum à te nihil aliud metuat.

*Hominum
solatia va-
na sunt, Des
solida.*

VII. Doce me, Deus meus, magni facere tui sequelam & imitationem. Quid enim amitto, quando amitto apud homines auctoritatem, honorem, famam, si placeam tibi? Quidquid dant homines, animæ interiora solari non potest. Tu in secreto consolaris, recreas, imples suavitate ac dulcedine incomparabili. Quando videbo me ditatum, sanctificatum, & consolatione tuâ perfusum in hoc exilio? Si me respicias, quàm ero dives, desertus ab omnibus; quàm lætus in disgratia omnium! Planta in me, Domine, virtutes, quibus tibi magis placeam, ne ullus meritò possit à me sumere occasionem alicujus mali. Da mihi latitudinem cordis, ut omnibus tui amore succurram. Pone in te solo spem meam, ac vota mea; quia tibi soli hæc debeo, tibi soli rectè impendo. Include, Domine, linguam meam, & conforta cor meum, ut cum silentio & spe in te possim omnes sufferre, cum omni sua molestia, quâ me affecerint. Non permitte, ut respiciam grandes terræ, nisi ut vermes & escam vermium; quales verè sunt: ut tu solus in anima mea sis magnus ac summus. Tolle mihi intellectum omnis apparentiæ rerum, quæ tibi non placent, ut sequar tantum puram veritatem, & te solum habeam in corde pro præmio; & exultationem, quam mereris præ omni magnate, sapiente, amico, socio, imò & sancto in terra: ne quidquam sufficiat me separare ab eo, quod mihi tu inspiras, nève dimittam tuam doctrinam. Omnia adversa & contradictiones, quas in tuo servitio habuero inter homines, tu, Deus meus, qui nôsti infirmitatem meam & ignaviam, excipe tu scuto bonitatis tuæ, ut me defendas, ne unquam proster-

nar. Ah Veritas mea! ah Custodia! ah Via! ah Vita mea! doce me in te, protege me in te, serva me semper vivum & firmum in te.

VIII. O Speculum veritatis æternæ, qui videris in cælo *Semper at- tendamus ad DEVM*
plenus omnibus bonis, & securos facis ab omnibus malis; quam facile tibi esset, rapere in te oculos animæ meæ, ut ab omni malo me liberares! Scio, me tantum vivere, quia tu me sustentas, tu me defendis, ne inimici me perdant: quia mei curam habes, & me gubernas, nondum interii. At si hoc habeo in te, dum sum immemor tui, & distractus à virulento mundo; quid habebō, cum omnia interiora mea fuerint occupata semper in te? Reforma, Domine, intentionem hujus animæ, ut velit tibi soli placere: & cuinam debeo interiora mea, nisi tibi? quis mihi potest satisfacere, nisi tu? Ah Deus meus & omnia! si tu, qui es ignis divinus, non accenderis hanc animam, quomodo poterit te quærere? semper præsentem te constitue, Deus meus, huic meo cordi; ut dormiens, comedens, cogitans, loquens, & in omni negotio, te videat ante se, & vivat coram te cum timore, ac reverentiâ tuæ præsentis, & in omnibus quærat purè, quod tibi est gratius. Moyses volebat se cum populo movere ab ullo loco, nisi promitteres te præcessurum; quia sine te non credebat se securum; posteaquam familiariter tecum agens, quadraginta diebus, vidit in te suam miseriam, & magnitudinem tuam, & quomodo nihil esset absque te. Et quomodo ego securus incedam per continua pericula animæ, nisi te semper facias conspici ab oculis meis, ut sequar te proximè? Si in cælo, ex tui conspectu semper absorptus, & lætus ero in te; hi pauci dies exilii mei, Deus meus, quare non accrescant æternitati, ut mox vivam de te, & in te solo? Non venisti in mundum ad versandum inter homines, nisi, ut semper haberent tecum Magistrum suum, ac totum suum bonum. Ideo supplico tibi, Domine, per illum amorem, quo me trahis ad te, ut inter homines agendo semper inveniam te, sisque tu meus magister, Dux, & omne Bonum. Offero tibi omnes cogitationes ac intentiones meas: tu illas purifica secundum desiderium, quod mihi largiris; ut, quantus quantus sum, te solum respiciam, tibi soli velim placere, solum te amem, te suspirarem, in te quiescam.

O Mater Dei sanctissima, quæ in terra conversatione Domini Jesu fuisti opulentior omnibus mundi potentibus, & ei placuisti præ omnibus creaturis! duc me in societatem hujus Domini, & impetra mihi, ut alia omnia mihi fiant insipida. O Curia cælestis, quæ semper vides hunc Dominum, & ob hoc affluis omni felicitate ac beatitudine! tu bene scis, quomodo tendam ad interitum, quando non sequor hunc Dominum: impetra mihi, ut ejus amore capiar & pulchritudine, donec vobiscum semper eo gaudeam cum satisfactione. Amen.

ÆRUMNA XV.

Jejunium Domini, & Vita in Deserto.

I.



Um Dominus esset ejus ætatis, ut deberet se magis manifestare mundo per doctrinam & miracula, iussit Spiritus sanctus Joannem prodire ex deserto, & Judæis prædicare pœnitentiam; quòd adesset Christus verus Filius Dei, pridem ipsis promissus. Et quia Dominum antè non viderat; ne argui posset testimonii dati de eo, quem ipse haud nôllet; dedit illi indicium, quòd ille sit Christus, super quem visurus esset Spiritum sanctum descendere in specie columbæ. Dum ergo prædicaret Joannes, ac baptizaret pœnitentes in Jordane, Dominus inter peccatores accessit, petiitque Baptismum. Jam assumpserat carnem peccatoris Adami, & formam pœnámque in Circumcisione, & operibus pœnitentiæ, quæ toto tempore vitæ peregerat: sed ut magis conformaret se peccatoribus, qui convertebantur, voluit baptizari cum illis, sanctificando pariter aquas, quibus olim abluti gratiam erant consecuturi. Joannes eum statim agnovit, antequam videret signum Columbæ. Unde videtur hoc signum ei non datum esse propter se, sed ut per illud aliis fidem faceret suo testimonio. Nec poterat illa puritas animæ sanctissimæ, & charitas, quæ flagrabat erga divinum Sponsum perfectissimus amicus Sponsi, illum non agnoscere. Quia lux oculis mundis & apertis occultari non potest: & amor, qui primâ horâ sanctificationis occupavit animam
ejus

*Jesus bapti-
zatur in-
flar pecca-
toris, & si-
mul sancti-
ficat aquas.*